

### DISPUTATIO III.

#### DE UNIVERSALIBUS

##### SECTIO I.

###### *Notiones praeviae.*

328. **Consecutio ad praecedentia.** — Quae huc usque disputavimus, statum cuiusque certitudinis universe respiciunt, quo mens in veritatis adfectione naturaliter conquiescit. Oportet in praesenti aggrediamur, prout initio diximus [205], quaestiones magni momenti, quae certitudinem spectant, prout in scientiis comparari solet et debet. Hae porro quaestiones aliae pertinent ad intelligentiam simplicem, sive incomplexam mentis apprehensionem: aliae vero ad intelligentiam compositam, sive iudicantem [14]. In illis gravissima agitur controversia de obiecto ipso scientiarum, quod universalibus notionibus continetur; atque eo spectant, ut obiectivus valor huiusmodi notionum in tuto collocetur. In aliis vero inspicendus est ipse motus seu progressus mentis a principiis in conclusiones, qui scientiam constituit. Hoc alterum genus questionum ad disputationem sequentem reservamus: in praesenti vero dumtaxat agemus de obiectiva realitate conceptuum universalium. Quo vero ea, quae dicturi sumus, facilius intelligantur, operae pretium erit notiones quasdam seitu valde necessarias in antecessum praemittere ac enucleare.

329. **Multiplex acceptio vocis universale.** — Ut a significatione vocis exordiamur, *universale* aliud *simplex*, aliud *complexum* nuncupatur. Complexum est propositio habens rationem principii, unde multae conclusiones erui possunt, vel notata syncategoremate distributivo *omnis* aut *nullus*. Simplex vero sive incomplexum multifariam subdividitur. Primo habetur universale *in causando*, et est causa, quae una est, sed virtute praedita ad causando effectus omnes, sive absolute sive in aliquo determinato ordine. Talis est maxime Deus, cuius efficientia ad omnia porrigitur. Aliud universale dicitur *in significando*, et est cum plura eodem nomine vel signo exprimuntur. Huc pertinent termini omnes communes, etiam aequivoce. Tertio habetur universale *in repraesentando*, quando nimirum plura una eademque quasi imagine exprimuntur, non solum in eo, in quo conveniunt, verum etiam in iis quae propria sunt uniuscuiusque: tales sunt species intelligibiles angelicae, de quibus theologi (*Summa th.* 1. p. q. 55.); item essentia divina, quae est similitudo archetypa omnium perfectionum, quibus creaturae fruuntur. Denique universale vocatur *in praedicando* vel *in essendo*, de quo coniunctim egimus in Logica minori [39], sed in praesenti pressius explicandum venit. Proprie igitur universale *in praedicando*, quod et *logicum* nominatur, definitur: *Unum aptum praedicari de multis, ita ut de singulis per identitatem ac divisionem affirmetur, ut homo, qui de singulis humanis individuis ita affirmatur, ut unumquodque vere et proprie dicatur homo, et totidem numerentur homines, quot sunt individua, de quibus praedicatur. Universale vero in essendo, sive metaphysicum est: Unum quod esse potest in pluribus, ita ut in iis multiplicetur, et quolibet eorum sit idem quod ipsum;* et est ipsummet universale *in praedicando*, consideratum tamen non secundo, sed primo intentionaliter, nimirum quantum ad ipsam realitatem, quam habet vel habere potest extra mentem, et in natura rerum.

330. **De quonam universali est hic agendum.** — De universali, haec duplici posteriori ratione accepto, prae-

sens disputatio instituitur. Ex his porro, quae in Logica minori [39] inuimus, haec facile inferuntur, quaeque necessaria sunt, ut haec notio praeformetur.

I. Duplex est quasi constitutum universalis, haec ratione accepti, videlicet *unitas in se*, et *aptitudo essendi multa sub se*. Unitas debet esse non solum in nomine, sed et potissimum in ipsa ratione obiectiva [10] nomine significata. Quare excluduntur et complexa, quae non habent unitatem nominis, et aequiuoca quae non habent unitatem rationis. Analoga vero, quae talia sunt per intrinsecam denominationem extremorum [34, 35], ut *ens, unum*, aliaque transcendentia, quandoque dicuntur universalis propter aliquam rationis identitatem, quandoque vero id negatur propter diversitatem rationis. Hinc Aristoteles in 3. *Metaph.* tex. 16. dicit ens et unum esse maxime universalis: in 4. vero *Metaph.* tex. 6. ait, ea non esse universalis et eadem in omnibus. Quod attinet autem ad aptitudinem, quam habet universale, essendi in multis, requiritur ut esse queat in pluribus secundum integram rationem quam nomen significat, atque ita, ut, quae sub sunt universali, plura sint in ea ipsa ratione. Sic *homo* est universalis, quia individua humana ita rationem seu quidditatem humanitatis multiplicant, ut unumquodque vere et proprie sit homo, et sint plures realiter homines. Hinc

II. Totum integrale, etiam homogenum [87], non est universale relate ad suas partes, quia nimirum non est secundum se totum in singulis. Simili ratione non est universalis forma, si sit eadem in pluribus subiectis inadaequatis, ut anima rationalis, quae tota est in singulis partibus corporis, quod informat; quemadmodum nec corpus Iesu Domini, quod idem est et in coelo et sub omnibus ac singulis speciebus eucharisticis: non enim sunt in pluribus per identitatem.

III. Natura divina, etsi communicatur tribus suppositis realiter distinctis, quorum quodlibet simpliciter ac verissime est Deus, non ideo tamen universalis dici potest. Nam ob consubstantialitatem divinarum persona-

rum, quam catholica fides credit in hoc augustissimo mysterio, unaquaeque verissime quidem est Deus, sed pluralitatem Deorum minime efficiunt, cum sint unus idemque numero Deus. Sic ratiocinatur Augustinus (7. *De Trinitate*, c. ultimo) (1).

IV. Unitas propria universalis in una eademque obiectiva ratione indivisionem simul et divisionem includit, illam quidem *actu*, hanc vero *potentia*. Ad rem Suarez. \* Dicitur haec unitas universalis eiusque ratio consistere in indivisione alicuius naturae in plures naturas similes sub eodem nomine et ratione cum aptitudine ut in eas dividatur. Itaque huiusmodi unitas utrumque includit, scilicet indivisionem, et aptitudinem ad divisionem in plura eiusdem nominis et rationis, seu quae talia sint, ut unumquodque totum divisum quoad eius actualitatem in se claudat et contineat. Unde haec indivisio proxime accedit ad propriam privationem, quia dicit negationem divisionis in natura apta ad talem divisionem. ( *Metaph.* D. 6. sect. 2. n. 11.) Qua ratione vero haec duo, quae prima fronte videntur sibi mutuo opponi, conciliari queant, in decursu totius praesentis disputationis explicandum venit.

331. **Ratio propria individui seu singularis.** — Universalis, de quo hactenus, immediate opponitur *individuum* seu *singulare*, eiusque propria unitas *numerica* nuncupatur. In quo vero istiusmodi unitas sit reponenda, ex iis quae de universali diximus facile intelligi potest. Apposite rursus Suarez. \* Supponendum est, ens individuum seu singulare opponi enti communi seu universali, non solum relative, quatenus secundum mentis comparisonem seu dialecticam considerationem individuum speciei sub-

(1) Ad rem Angelicus. \* Nomina significantia divinam essentiam substantive, singulariter et non pluraliter de tribus personis praedicantur. Haec igitur est ratio quare Socratem et Platonem et Ciceronem dicimus tres homines, Patrem autem et Filium et Spiritum Sanctum non dicimus tres Deos, sed unum Deum: quia in tribus suppositis humanae naturae sunt tres humanitates, in tribus autem personis est una divina essentia. ( *Summa th.* 1. p. q. 39. a. 3.)

icitur; hoc enim neque omni naturae individuae convenit, ut patet in divina, neque ad praesentem considerationem spectat: opponitur ergo quasi privative, fere ad eum modum quo unitas multitudini opponitur. Commune enim seu universale dicitur, quod secundum unam aliquam rationem multis communicatur seu in multis reperitur: unum autem numero seu singulare ac individuum dicitur, quod ita est unum ens, ut secundum eam entis rationem, qua unum dicitur, non sit communicabile multis ut inferioribus et sibi subiectis, aut quae in illa ratione multa sint. Haec enim in idem incidunt, et significata sunt ab Aristotele (3. *Metaph.* c. 3.) dicente: *Singulare exponimus quod numero est unum, universale autem quod in his.* (Metaph. D. 5. sect. 1. n. 2.) Ex quo intelligitur, non idem esse individuum, prout hic sumitur, ac *substantiam primam* [77], quae etiam substantia *particularis et individua* quandoque dicitur. Talis enim substantia idem est ac *suppositum*, ac propterea *individua* dicitur, ut suo loco plenius explicabitur, propterea quia non modo singularem naturam habet, sed etiam alteri nullo modo communicatam neque ut partem toti, neque ut formam aut quasi formam subiecto. Contra, individuum in praesenti acceptione excludit solam communicabilitatem, qua conceptus superior communicatur inferioribus in hisque multiplicatur. Quare humanitas, verbi gratia, Christi Domini est numerice una, quia tota ratio seu conceptus obiectivus huius humanitatis nequit esse communis multis, quae sub illa ratione multa sint, id est, multis humanitatibus, tametsi communicetur Verbo divino, non certe ut superior inferiori, sed ut formam supposito, in quo subsistat. Cf. S. Thomam (*Summa th.* 1. p. q. 75. a. 4. ad 2., 3. p. q. 2. a. 2. ad 3., *Cont. Gent.* lib. 4. c. 49. solut. 10.).

332. **Abstractio praecisiva mentis.** — *Abstrahere* idem sonat ac *dividere, disungere, separare*. Quocirca facultas cognoscitiva abstrahere dicitur, cum unum aut alterum ex his quae in obiecto coniuncta a parte rei (sc. prout obiectum in se est), inveniuntur, attingit relictis ceteris. Haec porro discretio vel fit simpliciter apprehendendo, vel

iudicando. Prior abstractio *praecisiva* dicitur ac fit absque falsitate; secus vero altera, quae *negativa* dici potest. Ad rem S. Thomas. \* Abstrahere contingit dupliciter. Uno modo per modum compositionis et divisionis; sicut cum intelligimus aliquid non esse in alio, vel esse separatim ab eo. Alio modo, per modum simplicitatis; sicut cum intelligimus unum nihil considerando de alio. Abstrahere igitur per intellectum ea, quae secundum rem non sunt abstracta, secundum primum modum abstrahendi, non est absque falsitate. Sed secundo modo abstrahere per intellectum, quae non sunt abstracta secundum rem, non habet falsitatem: ut in sensu apparet. Si enim intelligamus vel dicamus, colorem non inesse corpori colorato, vel esse separatim ab eo, erit falsitas in opinione vel in oratione. Si vero consideremus colorem et proprietatem eius, nihil considerantes de pomo colorato, vel si quod intelligimus voce exprimamus; erit absque falsitate opinionis et orationis: ponunt enim non est de ratione coloris, et ideo nihil prohibet colorem intelligi nihil intelligendo de pomo... Cum ergo dicitur, quod intellectus est falsus, *qui intelligit rem aliter quam sit*, verum est, si ly *aliter* referatur ad rem intellectam: tunc enim intellectus est falsus, quando intelligit rem esse aliter quam sit.... Non est autem verum, quod proponitur, si ly *aliter* accipiatur ex parte intelligentis; est enim absque falsitate, ut alius sit modus intelligentis in intelligendo, quam modus rei in essendo; quia intellectum est in intelligente immaterialiter per modum intellectus, non autem materialiter per modum rei materialis. ( *Summa th.* 1. p. q. 85. a. 1. ad 1.)

333. **Abstractio duplex, formalis et totalis.** — Duplex esse potest abstractio praecisiva. Prior est formae vel quasi formae a subiecto, quae propterea *formalis* dici potest, ut cum consideratione mentis praescinditur *albedo* a subiecto albo. Ad hanc abstractionis modum revocatur etiam ea, qua pars aut quasi pars praescinditur a toto in quo subsistit: omnis enim pars comparatur ad totum per modum actus ad potentiam sive formae ad materiam. Altera abstractio dicitur *totalis*, eaque est qua conceptus

superior praescinditur ab inferiori, puta *animal* ab *homine*. Vocatur *totalis*, quia conceptus superior significat, quamvis indistincte, totum id quod continetur in conceptu inferiori, ac propterea de eo per identitatem praedicatur. Contra, in abstractione formali significatur forma vel pars, ut praecisa a suo subiecto vel toto, ideoque de eo praedicari nequit. Hinc vere dicimus, *Homo est animal*; minime vero, *Parietis est color* (1). Porro abstractio seu praecisio formalis locum habere potest etiam in facultate sensitiva, quemadmodum visus percipit rem ut coloratam, quin ceteras eiusdem rei proprietates attingat; eaque praeterea minime sufficit ad universale concipiendum; altera vero abstractio, *totalis* scilicet, non invenitur nisi in intellectu universalis concipiente, et materiam constituit praesenti disputationi subiectam.

334. **Abstractio praecisiva non semper supponit distinctionem realem.** — Hic vero diligenter animadvertere oportet, quod iam ex parte notavimus [49], nimirum minime transferri debere ad obiectum cognitionis, prout

(1) Huc spectat doctrina ab Aquinate tradita sic aiente. \* Duplex fit abstractio per intellectum. Una quidem secundum quod universale abstrahitur a particulari, ut animal ab homine. Alia vero secundum quod forma abstrahitur a materia; sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia sensibili. Inter has autem abstractiones haec est differentia, quod in abstractione, quae fit secundum universale et particulare, non remanet id a quo fit abstractio. Remota enim ab homine differentia rationali, non remanet in intellectu homo, sed solum animal. In abstractione vero, quae attenditur secundum formam a materia, utrumque manet in intellectu. Abstrahendo enim formam circuli ab aere remanet seorsum in intellectu nostro et intellectus circuli et intellectus aeris. (Summa th. 1. p. q. 40. a. 3.) Nemo nobis succenseat, quasi nimis sinus in corrogandis aliorum auctoritatibus in rem praesentem. Propositum quippe habemus, in questione procul dubio gravissima, conformitatis eorum, quae doemus, cum doctrina veterum scholasticorum, ac D. Thomae imprimis, non existat modo, sed pateat etiam. Hac ratione insuper consulumus commodo lectorum, qui vel non possunt vel nolunt suis ipsi oculis in proprio fonte haurire testimonia, quae producimus.

in se est, abstractionem seu praecisionem, qua concipitur, ita ut realiter distincta putentur quae cognitionis acie mutuo separantur. Ex hoc enim gravissimi errores in philosophia et theologia dimanarunt. \* Non oportet, ait S. Thomas, secundum diversas rationes vel intentiones logicas, quae consequuntur modum intelligendi, diversitatem in rebus naturalibus accipere: quia ratio num et idem secundum diversos modos apprehendere potest. Quia igitur, ut dictum est, anima intellectiva virtute continet id, quod sensitiva habet, et adhuc amplius, potest seorsum ratio considerare, quod pertinet ad virtutem sensitivae, quasi quoddam imperfectum et materiale, et quia hoc invenit commune homini et aliis animalibus, ex hoc rationem generis format; id vero in quo anima intellectiva sensitivam excedit, accipit quasi formale et completivum, et ex hoc format differentiam hominis. (Summa th. 1. p. q. 76. a. 3. ad 4.)

335. **Triplex naturae consideratio.** — Ultimo loco revocandum est in memoriam, quod in minori Logica diximus [54. 55] de suppositione *logica*, *absoluta*, et *personali*. Quocirca diligenter iterum observa, tria esse praedicatorum genera, quae alicui naturae competere possunt. Primo habentur praedicata realia, quae naturae conveniunt ratione status, quem habet in individuis; et hoc modo dicitur ex. gr. medicus curare *hominem*, quia curat *Socratem*. Alia praeterea attributa dicuntur de natura aliqua, puta de *humanitate*, secundum se et quasi immediate, nimirum non ratione individuorum. Haec porro in duplici sunt differentia. Quaedam conveniunt naturae *absolute*, h. e. ut praecise habenti talem rationem formalem, puta *animalitatis*, *rationalitatis*; et haec proppissime dicuntur competere naturae secundum se et per se, id est, *ex hoc praecise quia talis natura est*. Quaedam vero praedicata conveniunt naturae secundum se etiam, id est, *ratione illius separationis quam circumscribit illa particula secundum se*, ut cum dicimus, *Homo est species*; et \* talis consideratio naturae, bene ait Suarez, coincidit cum statu, quem natura habet per intellectum, et illa praedicata si-

milliter coincidunt cum attributis, quae conveniunt illi naturae ratione illius status. (Metaph. D. 6, sect. 3, n. 6.)

Hanc distinctionem Doctor Angelicus tradit his verbis. "Triplex est alicuius naturae consideratio. Una prout consideratur secundum esse, quod habet in singularibus, sicut natura lapidis in hoc lapide et in illo lapide. Alia vero est consideratio alicuius naturae secundum esse suum intelligibile, sicut natura lapidis consideratur prout est in intellectu. Tertia vero est consideratio naturae absoluta, prout abstrahit ab utroque esse, secundum quam considerationem consideratur natura lapidis, vel cuiuscumque alterius quoad ea tantum, quae per se competunt tali naturae." (Quolib. S. a. 1.)

Hinc collige I. praedicata primi generis esse realia simpliciter: quae vero ad alia duo genera revocantur, sedulo distinguí oportere. Quae enim naturae conveniunt praecise ob statum, quem habet in intellectu, ex. gr. esse intellectum vel abstractum, ea sunt simpliciter *intentionalia*, ac propterea nonnisi reflexe cognosci: quae vero competunt naturae secundum absolutam sui considerationem, sunt quidem realia, sed *ipsemet modus absolutae considerationis est logicus*; ex mentis enim praecisione habetur, quod natura consideretur *secundum ea tantum*, quae ei per se conveniunt. Quocirca in absoluta consideratione alicuius naturae sedulo distinguere oportet *id quod concipitur*, et *modus absolutae considerationis*, quo concipitur: illud reale est et directe concipitur; hic vero *logicus* et nonnisi reflexo mentis intuitu apprehendi potest. Porro praedicata secundi generis, quae videlicet naturae conveniunt *absolute*, ea tantum recenseri debent quae in absoluta consideratione naturae per se conveniunt *ipsi quidditati*, quae concipitur, non vero quae resultant ex *ipso modo quo concipitur*.

Collige II. praedicata, quae naturae conveniunt secundo modo, h. e. *absolute*, eam comitari in quocumque statu esse concipiatur, ideali scilicet vel reali. In utroque enim statu quaelibet res sua praedicata quidditative retineat necesse est. Contra, quae rei adveniunt *personaliter*

acceptae, non necessario eidem inesse debent etiam in statu *logico*, quem sortitur in intellectu, et viceversa: modus enim rei, prout est intellecta, alius est a modo quo est in se.

336. **Status controversiae in hac disputatione de-  
dicendae.** — His in antecessum constitutis, haud difficile erit intelligere, in quo proprie praesentis controversiae cardo vertatur. Constat nempe, praeter nomina singularia et collectiva, dari etiam nomina communia et universalia; qualia sunt *homo*, *animal*, et sexcenta generis eiusdem. Constat insuper nos res concipere non modo in particulari, conceptu scilicet discretivo unius singularis ab alio, verum etiam universaliter et in communi ita, ut quod de uno singulari concipimus et affirmamus, id ipsum eadem plane ratione de aliis atque aliis in infinitum singillatim praedicemus: huiusmodi enim conceptionibus et affirmationibus scientiae omnes absolvuntur. Queritur proinde an et quo pacto detur in rebus ipsis extra nos positus ratio ipsa obiectiva [10] hisce conceptionibus seu praedicationibus expressa, id scilicet quod apprehendit mens de significatione nominum praedictorum. Quaestio, ut patet, est momenti non levis; agitur nempe de obiectiva realitate scientiarum omnium. Quamvis vero haec controversia cognata sit valde alteri, in qua tractatur de origine conceptuum universalium, una tamen ab altera diligenter discernenda est, ac prior Logica, altera Psychologica est. Hic supponimus, quod evidens conscientiae testimonium cuique dicat, dari in mente conceptus universales *in praedicando*, quos communibus nominibus exprimitimus. Non quaerimus autem unde et qua ratione humana mens foecundetur ad tales conceptus habendos: sed hoc unum in disputationem adducimus, nimirum *an hi conceptus obiectivum valorem habeant et quo pacto*. Huius porro quaestionis primae parti satisfacemus in sectione sequenti, alteri vero in ceteris.

## SECTIO II.

### *Utrum universalia in praedicando subaudiunt universalia in essendo.*

337. **Nominalium opinio.** — Ut propositae quaestionis titulus probe intelligatur, paucis exponenda est sententia Nominalium de conceptibus universalibus. Qui porro sic vocantur, universale non aliter definiunt nisi hoc modo: *Conceptus sive vox plura significans.* \* Dicendum est, ait Guilelmus Ockamus, quod quodlibet universale est una res singularis, et ideo non est universale nisi per significationem, quia est signum plurimum..... Universale est una intentio singularis ipsius animae, nata praedicari de pluribus, non pro se sed pro ipsis rebus: ita quod per hoc, quod ipsa nata est praedicari de pluribus, non pro se, sed pro ipsis rebus, illa dicitur universalis; propter hoc autem quod est una forma existens realiter in intellectu, dicitur singularis. \* (*Log. lib. 1. c. 14.*) Adverte autem, nomine *signi* apud huius scholae auctores universe intelligi, prout praedictus auctor definit: *Omne illud, quod apprehensum aliquid aliud in cognitionem facit venire (loc. cit. c. 1.);* quam definitionem nos [18] non de omni signo, sed de *obiectivo* dumtaxat tradidimus. Quod si seisciteris, quid in causa sit, ut conceptus pro ipsis rebus in praedicando supponi queant, sic respondet Gabriel Biel. \* Intellectus noster videns rem aliquam extra, fingit in se eius similitudinem, quae talis est in esse obiectivo (h. e. intentionali), qualis est res extra, quae fingitur in esse subiectivo, (h. e. reali): sicut artifex videns domum extra, similem fingit intra; similem non realiter, quia illud fictum nihil reale est, sed ideo similem, quia tale est in esse obiectivo, h. e. in interiori apparentia vel repraesentatione, qualis

est domus extra in esse subiectivo..... *Id fictum est obiectum intellectus terminans immediate actum intelligendi... et vocatur proprie conceptus participialiter, i. e. obiectum, quod tamen concipitur, et propter illam similitudinem in esse obiectivo naturaliter repraesentat rem extra et supponit pro ea.* \* (*1. Dist. 2. q. 4.*)

Ex dictis patet, quatenam sint praecipua capita doctrinae Nominalisticae de universalibus. Ad tria potissimum revocari posse videntur.

I. Agnoscunt nomina proprie communia seu universalis, nec non conceptus his nominibus expressos, qui non secus ac priora universales sint *in significando*, etsi in se non sunt nisi res seu intentio quaedam individua ac singularis.

II. Concedunt praeterea, hos conceptus ob naturalem similitudinem, quam habent cum rebus, posse ab intellectu substitui loco eorumdem, atque ita de iisdem praedicari. Quare hoc modo admittunt etiam universalis *in praedicando*. Sedulo tamen adverte, in tali praedicatione, puta cum dicimus, *Homo est animal*, id, quod ex Nominalium sententia de homine praedicatur, non esse *rem ipsam* expressam nomine vel conceptu formali praedicti, sed hoc ipsum nomen seu conceptum; ac praeterea ad veritatem praedicationis non requiritur *identitatem* rei, h. e. ut praedictatum et subiectum sint re idem, sed sufficere putant *identitatem suppositionis*, h. e. ut praedictatum et subiectum pro uno eodemque supponant sive substituantur. Hinc

III. Inficiantur universalitatem vere et proprie talem, quae videlicet divisionem et indivisionem supra expositam [330] complectatur, inesse rebus ipsis, quae concipiuntur et praedicantur, ac praeterea ex eorumdem sententia universalis *in praedicando* subaudiunt quidem universalis *in significando*, minime vero *in essendo*.

338. **Iudicium de exposita doctrina.** — Non desunt auctores, iique notae non ignobilis, qui fere aliud non reprehendunt in exposita doctrina Nominalium nisi loquendi modum. Ita Suarez. \* Merito reprehendendi sunt, ait, (No-

minales) quoad aliquos loquendi modos, nam in re fortasse non dissident a vera sententia; nam eorum rationes huc solum tendunt, ut probent universalitatem non esse in rebus, sed convenire illis prout sunt obiective in intellectu, seu per denominationem ab aliquo opere intellectus; quod verum est. (Metaph. D. 6. sect. 2. n. 1.) Gemina habet paulo inferius (Sect. 5. n. 3.). Item J. B. De Benedictis (*Philos. Periapat.* t. 1. lib. 2. q. 1. c. 6.). Ceterum id non immerito diceretur, si solum spectetur vis argumentorum, quibus ad suam sententiam firmandam utuntur, praesertim attentis, quae adversariis respondent eum ab ipsis oppugnantur. Minime vero id dici potest, si consideretur sententia ipsa secundum se, prout ab ipsis expositam habuimus. Quapropter sequentem propositionem stabilimus.

#### THESIS XIII.

*Nominalium opinatio de universalibus nominibus seu conceptibus, vel secum ipsa non cohaeret, vel certe id efficit, ut scientia omnis inter inanes mentis fictiones anandetur.*

339. *Probatio.* — Cum enim nos ratiocinamur ex gr. circa naturam animae humanae, (idem dicas de obiectis omnium scientiarum), et affirmamus de ea, generaliter inspecta, esse spiritum, immortalem, libertate arbitrii praeditam, non certe huiusmodi praedicationes fiunt circa nomina tantum externa vel conceptus formales his nominibus respondentes. Falso enim diceretur anima humana esse ipsum nominis vocabulum aut formalis conceptus, quo mens apud se concipit proprietates et attributa eiusdem, puta spiritualitatem, immortalitatem, aut libertatem; neque rem huiusmodi Nominales contendent. Quare id, quod de anima sic affirmamus, est ipsamet res seu ratio obiectiva praedictis nominibus et conceptibus expressa.

Hoc posito sic arguimus. Vel huiusmodi obiectiva ratio, puta *spiritus*, vero inest animae de qua affirmatur, vel non. Si hoc postremum dicatur, ergo in scientiarum demonstrationibus nos non speculamur nisi figmentum inane nostrae mentis, non rem obiectivam et veram, quae a mente consideratur sed non creatur. Sin vero prior optio fiat, tunc insequenter omnino attribuitur universalitas solis nominibus et conceptibus, ac negatur de rebus ipsis his nominibus et conceptibus expressis. Et re quidem vera, praedicta ratio obiectiva, ex gr. *spiritus*, quae vere inesse supponitur animae humanae, non potest esse singularis: nam quod singulare est non potest esse in pluribus eo pacto, quo universale esse in pluribus definitur; ratio autem spiritus eadem est in singulis animabus humanis, quippe quae de singulis univoca praedicatione affirmatur. Neque etiam potest esse omnes singulares animae significatae simul iunctae: aggregatio enim omnium non dicitur de singulis.

Hinc si Nominalismi sententia severe accipiatur consequenter ad principia, quae adstruit, non immerito sie reprehenditur a Petro Fonseca. \* Nominales, (quod eorum pace dixerim), dum omnem rerum inter se communionem de medio tollunt, nullamque omnino cum alia in natura ulla communi, sed in solis earum communibus vocabulis convenire dicunt: seipsos philosophorum choro indignos esse ostendunt. Nam, ut Plato ait in Sophista: *Omnia ab omnibus discernere, et incontinuum est, et hominis musicae imperiti, philosophiaeque prorsus expertis.* Incontinuum dixit, quia nisi particularium inconstantia et infinitas rata ac certa communium naturarum conditione quasi colligitur, dissoluta erit et tumultuaria omnis rerum tractatio: *hominis vero musicae imperiti*, quia qui communes naturas ex collatione rerum inter se colligere non valet, is plane ineptus est vel ad ipsarum vocum sonorumque convenientiam percipiendam, in qua tota musicae artis peritia continetur: denique *philosophiae prorsus expertis*, quia philosophia omnisque scientia, quae proprie hoc nomine censetur, aliquid commune tradit, quod causa sit eorum, quae in

multis particularibus quaeruntur. Nam, ut Aristoteles 1. lib. huius operis cap. 1. recte ait: *Ars medica non quaerit, quid profuit Calliae, proprio ac peculiari morbo laboranti, sed quid Calliae alisque eadem communi aegritudine affectis*: quod quidem commune aliquid sit necesse est, nec sane nomen ullum, sed res communi nomine significata. (Metaph. lib. 5. c. 28. q. 2.)

340. Praecluditur effugium. — Neque huius argumenti robor enervatur, si cum Gabriele Biel (*loc. cit.*) quis dicat, scientiarum realitatem in tuto manere propterea quia conceptus nominibus expressi pro rebus ipsis supponant, pro eo quod sunt naturales imagines seu signa eandem. Nam in sententia Nominalium conceptus non sunt signa rerum *formalia*, sed *obiectiva*, quatenus sunt id quod intelligimus, non vero id quo intelligimus, ut expresse fatetur citatus auctor. Id porro vim facti argumenti adanget, nedum imminuit. Ut enim arguit Angelicus Doctor (*Summa th. 1. p. q. 85. a. 2.*), si semel ponatur, id, quod intelligimus, non esse nisi rerum species seu imagines, quae sunt in anima nostra, scientiae omnes non essent de rebus, quae sunt extra animam, sed solum de representationibus, quae sunt in intellectu, et sic celebris instauraretur quaestio *de ponte*, ut aiunt, quo ex ideali ordine ad realem transilire possemus. Quin immo in hac doctrina deveniendum esset in purum putumque scepticismum. Sequeretur enim omnia iudicia, quae pronuntiamus, fore aequaliter vera. \* Sequeretur, ait S. Doctor, *loc. cit.*, error antiquorum dicentium, 'omne quod videtur esse verum; et similiter quod contradictoria essent simul vera. Si enim potentia non cognoscit nisi propriam passionem, de ea solum iudicat. Sic autem videtur aliquid, secundum quod potentia cognoscitiva afficitur. Semper ergo iudicium potentiae cognoscitivae erit de eo, quod iudicat, scilicet de propria passione secundum quod est; et ita omne iudicium erit verum. Puta, si gustus non sentit nisi propriam passionem, cum aliquis habens sanum gustum iudicat, mel esse dulce, vere iudicabit; et similiter si ille qui habet gustum infectum iudicet mel esse amarum,

vere iudicabit: uterque enim iudicabit secundum quod gustus eius afficitur. Et sic sequitur, quod omnis opinio aequaliter erit vera, et universaliter omnis acceptio. \*

Obiicietur fortasse Philosophi auctoritas sic aientis. \* Ex his itaque considerantibus patet, nihil eorum, quae universaliter existunt, *substantiam* esse, nihilque eorum, quae communiter praedicantur, *hoc quid*, sed *tale* significare. (7. al. 6. *Metaph.* c. 13.) Respondeo, eo loco ab Aristotele excludi opinionem platoniciam, quasi homo communis, ex. gr. vel animal commune essent substantiae quaedam in rerum natura a singularibus separatae (1). Quare concludit universalis, quae de pluribus praedicantur, non proprie esse *hoc aliquid*, quod proprium est substantiae primae, sed induere naturam accidentis, quod praedicatur *in quale*. Ratio est, quia quod substantia secunda, seu communis, praedicatur de subiecto, hoc habet pro eo quod est in ratione, in qua praedicatum se habet per modum *formae subiecto inhaerentis* [105, 111], quod est proprium accidentis; et sic substantiae secundae, seu universales, modo essendi accidentium vel qualitatum quasi assimilantur. Praeterea ad universale constituendum requiritur abstractio praecisiva: haec vero nititur quidem in ipsamet rei natura, sed actu ei *accidit* per actum rationis eam spoliantis a conditionibus individualibus.

(1) Apposite S. Thomas. \* Sciendum est autem ad evidentiam huius capituli, quod universale dupliciter potest accipi. Uno modo pro ipsa natura, cui intellectus attribuit intentionem universalitatis; et sic universalis, ut genera et species, substantias rerum significant et praedicantur in quid . . . . . Alio modo potest accipi universale, in quantum est universale, et secundum quod natura praedicta subest intentioni universalitatis; id est secundum quod consideratur animal, vel homo, ut unum in multis. Et sic posuerunt platonici animal et hominem in sua universalitate esse substantias. Quod Aristoteles in hoc capitulo intendit reprobare, ostendens quod animal commune vel homo communis non est aliqua substantia in rerum natura; sed hanc communitatem habet forma animalis vel hominis secundum quod est in intellectu, qui unam formam accipit ut multis communem, in quantum abstrahit eam ab omnibus individuantibus. (7. *Metaph.* lect. 13.)



## SECTIO III.

*Criticismus transcendentalis.*

341. **Ratio tractationis.** — Error, quem in sectione praecedenti reprobavimus, dilatatus est et ad suum veluti culmen adductus, opera eorum quos *transcendentales* vocant. Horum dux et parens fuit Emmanuel Kantius Regiomontii in Borussia superiori seculo natus. Quare non abs re erit eius systema hic breviter examinare, eo praesertim consilio, ut eluceat quo pacto homines id genus per mille anfractus sub novae cuiusdem scientiae praetextu in antiquissimos errores, prout in ipsa scientiae infantia philosophi balbutiere, tandem aliquando decidunt. Id enim animadvertere pernecessarium est, ne fucum faciant imperitis.

342. **Problema a Kantio propositum.** — Hic itaque auctor, quo ym humanae mentis quae et quanta sit adinveniret, universam cognoscendi facultatem ad examen, quod ipse vocat *transcendentale*, revocavit in opere cui titulus: *Critica rationis purae*. Ideo porro tale examen *transcendentale*, ac rationem, quae est obiectum huius examinis, *puram* appellat, quia necessarium putavit ad finem sibi propositum obtinendum, experientiam omnem transilire, et originem humanae cognitionis *a priori* explicare, h. e. in statu animi, qui ipsam experientiam praevertat. Iam age, ex mente huius philosophi, cognoscere, generaliter ac universe loquendo, nihil aliud est nisi iudicare, seu praedicatum subiecto tribuere, quae est aliqua *synthesis*. Haec vero *synthesis* vel est ab experientia, et sic habentur iudicia empirica; vel est *a priori*, h. e. per anticipationem quamdam et ex coeco animi impulsu, et iudicia sic eformata dicuntur a Kantio *synthetica a priori*. Hae *synthesi* praehabita, possibilis est *analysis*, seu ex-

plicatio, qua intellectus notionem subiecti evolvit, et praedicatum in eo inclusum videt: et hoc modo tertium genus iudiciorum habetur, quae *analytica* nuncupantur seu explicativa; eorumque hoc profer exemplum: *Corpora sunt extensa*. Huius porro triplicis classis iudiciorum ea tantum, quae sunt *synthetica a priori*, finem constituere debent speculationis criticae transcendentalis: iudicia enim empirica, utpote particularia et contingentia, nomen scientiae non merentur; analytica vero ex *syntheticis* profiscuntur. Problema itaque, quod Kantius solvendum ea sibi proponit, hoc est, nimirum *quo pacto possibilia sint iudicia synthetica a priori*.

343. **Solutio praedicti problematis a Kantio tradita.** Ad hoc problema solvendum en criterium a Kantio usurpatum. In cognitionibus nempe nostris scernere oportet diligenter id quod particulare, variabile, contingens est ab eo, quod universalitatem, immutabilitatem, necessitatemque prae se fert: illud se habet ut *materia*, ac totum est ab experientia; hoc vero experientiam praevertit, ac totum inest subiecto cognoscenti a priori tanquam *forma* obiecti cognoscendi ab ipsa animi constitutione profluens. Hoc criterio praestituto, ita procedit ad hoc duplex elementum assignandum primo quidem in sensibilitate, dein vero in intellectu, ac tandem in ratione.

I. *Materia sensibilitatis* est impressio ab obiecto proveniens. Forma vero est duplex *intuitio pura*, spatii nimirum ac temporis, atque prima tanquam forma sensibilitatis externae, altera tanquam forma sensibilitatis internae habenda est. Dicuntur porro *intuitiones*, non conceptus, quia non exhibent aliquid universale, quod in pluribus totum invenitur, sed aliquid totum quod in partes dividi potest. Dicuntur vero *purae*, ut quae sunt a priori: sunt enim necessaria lex sensationum nostrarum, quae si externae fuerint, nequeunt a spatio absolvi, si vero internae, successione quadam seu tempore affectae semper nobis obiciuntur. Munus autem sensibilitatis hoc est, ut impressiones receptas in praedictas intuitiones puras coniciat, iisque veluti convolvat et convestiat, qua-

tenus quae divisim et sparsim experitur, in quibusdam spatii et temporis partibus quasi congregat: nihil tamen adhuc definiti concipitur nisi opera intellectus.

II. Operatio seu cognitio intellectualis est iudicium, eiusque veluti centrum est apperceptio haec originaria; *Ego cogito*, ad quam conflunt intuitiones omnes empiricae. Elementum materiale eiusdem sunt hae ipsae intuitiones: forma vero sunt *conceptus* quidam et ipsi *puri* seu a priori, quos Kantius Aristotelem imitatus categorias appellat. Hi conceptus quadrifariam dispartuntur. Primo habentur *unitas*, *pluralitas*, *totalitas*, pro diversa quantitate iudiciorum, quae possunt esse vel singularia, vel particularia, vel universalia. Secundo potest esse iudicium, ratione suae qualitatis, vel affirmans vel negans vel indefinitum; et sic tres alios conceptus suppeditat, qui sunt *realitas*, *negatio*, *limitatio*. Tertia divisio petitur ex diversa relatione iudiciorum, prout est categoricum, hypotheticum et disiunctivum: et huc spectant conceptus *substantiae* et *accidentis*, *causae* et *effectus*, ac *mutuae actionis*. Denique iudicium dividitur in *problematicum*, *assertorium*, et *necessarium*, pro diversitate modi in enuntiando: et ad sic iudicandum mens triplici alia forma utitur, nimirum *possibilitatis*, et *impossibilitatis*, *existentiae* eiusque *caerentiae*, *necessitatis* et *contingentiae*. Hoc porro immane discrimen intercedit inter categorias huius sophistae, et eas quas [74...] cum Philosopho numeravimus. In istis enim spectatur, quid reipsa sint ea quae concipimus, ac propterea ordinem obiectivum respiciunt cognitionum nostrarum: contra, quae a Kantio recensentur, minime exhibent condiciones obiectorum, sed sunt leges intelligentiae ac subiectivae formae, quibus obiecta non detegimus sed formamus. Quod si postules, quae ratione recensitae formae intuitionibus empiricis applicentur ad cognitionem intellectualem seu iudicium gignendum, ita res habet ex mente Kantii. Primo quidem mens activitate sua schemata quaedam seu typos efformat, coniungendo videlicet intuitiones puras spatii et temporis cum categoriis intellectus, ut hae sensibilem figuram adipiscantur. Sic *numerus* est schema

quoddam ex visione pura temporis, et categoriis quantitatis. Hoc schema convertitur in *imaginem* si maiorem aliquam determinationem accipit: v. g. *duo* est imago orta ex schemate numeri. Hae imagines ab intellectu imprimuntur modificationibus ab obiecto acceptis, quemadmodum sigillum format ceram cui imprimitur, et sic intellectualis cognitio enascitur. Haec vero applicatio, ut diximus, fit ab intellectu naturali ac coeoco modo, non quia videlicet ea quae concipiuntur sic sunt ut a nobis intelliguntur, sed quia mens sic conformata est ad ea concipienda.

III. Quemadmodum intuitiones sensibilitatis sunt materia conceptuum, et ex illis unitatem nascuntur, ita hi conceptus tanquam materia substernuntur ideis rationis, quae fundamentum ultimum unitatemque eis tribuit. Hae vero ideae sunt tres, et ipsae vocatur *nomenon*, immo an revera aliquid sit nec ne, omnino ignoramus. Hoc porro est ipsumet veterum scepticorum pronuntiatum [209], et quod Protagoras effutit apud Aristotelem (11. *Metaph.* c. 5.) inquam *omnium rerum mensuram hominem esse*, scilicet secundum suum sensum et intellectum. Immo non monstruosa quadam harmonia simul componi errores fere omnes, qui circa humanam cognitionem retro fuerunt, ac nominatim sensuum Lockii, idealismum Berkeleyi, instinctum coeoco Reidii, atque adeo atheismum, pantheismum, ipsunque nihilismum.

Haec est summa Kantiani formalismi, quem maiori qua potuimus perspicuitate exponere conati sumus. Mi-

nine verò in praesenti nolare oportet omnia et singula, quae in eo reprehensionem merentur. Sufficit, ut eo modo, quo agendum esse diximus [222] cum scepticis, ostendamus, quantum a recta ratione abhorreat talis philosophandi modus, ac nihil afferri posse quod in eius favorem militet.

THESIS XIV.

*Critica rationis purae, a Kantio excogitata, praeter et contra rationem omnem est, sive in se ipsa spectetur, sive in fundamento cui superstruitur.*

344. *Probatur I. pars.* — Ut id probemus, sufficit e multiplici genere contradictionum, quibus scetet, quasdam solummodo indicare.

I. Prima contradictio est in ipso criticae rationis instituendae consilio. Inquit nempe hic sophista, an et quomodo sit possibilis cognitio. Id vero praestat mediante ipsa ratione, cuius valor in dubium revocatur. Ergo dum dubitat, num cognitio possibilis sit, eam de facto dari atque adeo possibilem esse, ipso rationis exercitio fatetur.

II. Ad hoc problema solvendum dicit, criticam seu examen instituendum esse plane *a priori*, h. e. experientiam omnem transcendens. Mox vero a suppositione subiecti et *noumeni* in cognitionem influentis, ac materiam ei subministrantis exorditur; quae omnia experientia constant.

III. Regula in problematis solutione adhibita est, ut quidquid in nostris cognitionibus est necessarium, et universale, id totum ex ipsa constitutione subiecti repetatur: huius autem criterii ratio est, quia in obiectis, quae experientiae subduntur, nihil est huiusmodi, sed omnia particularia sunt et contingentia. Atqui ipsum subiectum cognoscens est quid individuum et contingens. Ergo sine aperta contradictione nequeunt inde haberi formae uni-

versales et necessariae, in quarum positione totum nititur Kantianum systema.

IV. Quantum contradictionis genus habetur ex distinctione *noumeni* et *phaenomeni*, ad quam tota revocatur solutio problematis cum tanto apparatu a Kantio tradita. Res nempe ex mente ipsius non cognoscimus sed solum phaenomena. Atqui imprimis nequit phaenomenon cognosci nisi sciatur quid sit subiectum, quod potest cognoscere et actu cognosci; et quid sit obiectum, quod videlicet tali modo apparere potest. Ergo contradictoria affirmat, qui *sola* phaenomena a nobis cognosci docet. Praeterea, quemadmodum contra academicos arguit Augustinus (2. *De Civ.* c. 26.), ipsa apparentia phaenomenica, quantumvis fallax, est plane impossibilis, nisi realiter existat subiectum, quod cognoscere et falli queat. \* Sine ulla, pulchre ait S. Doctor loco citato, phantasiarum vel phantasmatum imaginatione ludificatoria, mihi esse me, idque nosse et amare certissimum est. Nulla in his veris academicorum formido dicentium: quid, si falleris? Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest; ac per hoc sum, si fallor. Quia ergo sum, si fallor; quomodo me esse fallor, quando certum est me esse, si fallor? \*

345. *Probatur II. pars.* — Ut pateat, quam infirmum sit fundamentum, cui tota innititur haec teoria, et quod supra exposuimus [342], haec notamus.

I. Falsum est, idem plane esse cognoscere ac iudicare. Quamvis enim perfecta cognitio non nisi iudicio contineatur, datur tamen veri nominis cognitio, quae non est iudicium, simplex nimirum rei apprehensio [14]. Essentia quippe cognitionis posita est in vitali representatione obiecti in cognoscente. Id vero tum iudicio, tum simplici apprehensioni convenit.

II. Falsum est, primam mentis operationem synthesis quadam contineri praedicti cum subiecto. Nam synthesis perfici nequit nisi elementa subaudiuntur, quibus constare debet compositum, quod ex tali synthesis exurgit, notio videlicet subiecti et praedicti, quae iudicio componuntur. Atqui notiones huiusmodi, primae saltem, non possunt

et ipsae synthesi obtineri; daretur enim processus in infinitum.

III. Absurda est plane *synthesis a priori*, qualem Kantius comminiscitur. In hac enim nullum menti observaretur motivum, quod ex parte obiecti illam ad assensum flecteret ac propterea iudicia quae sic proferret essent coeca omnino et irrationalia. Atqui id manifeste repugnat naturae intellectus, qui utpote facultas eminenter cognoscitiva, factus est ad videndum ac detegendum obiectum. Nec dici posset mentem ipso suae naturae pondere ad sic iudicandum determinari. Repugnat enim manifeste, ut ex ipso veluti fundo rationis promanent iudicia plane irrationalia.

IV. Denique falsum est, nihil necessarium et universale haberi in obiectis extra nos positis. Nam etsi contingentia sunt et particularia, prout in propria materiali concrectione inspiciuntur, at elementum continent necessarium et universale, si sola inspiciatur eorundem essentia ab individualibus conditionibus denudata. Ad rem S. Thomas. " Nihil est adeo contingens, quin in se aliquid necessarium habeat. Sicut hoc ipsum, quod est *Socratem currere*, in se quidem contingens est; sed habitu cursus ad motum est necessaria: necessarium enim est Socratem moveri si currit. " (*Summa th.* 1. p. q. 86. a. 3.)

346. *Obiectio.* — Sunt plurima effata universalia et necessaria, in quibus notio praedicati nequit haberi ex notione subiecti. Exemplo sit hoc pronuntiatum: *Quidquid fit causam habet*; notio enim *effectus* notionem *causae* non includit. Ergo necesse est, ut haec iudicia sint synthetica, in quibus videlicet subiecto copuletur praedicatum extra eius notionem positum. Atunde iudicia huiusmodi nequeunt esse *a posteriori*, quippe quae necessaria sunt et universalia suapte natura. Ergo admittere oportet genus quoddam tertium iudiciorum inter analytica et synthetica, quaeque proinde *synthetica a priori* merito appellari queunt.

Respondeo, in hac obiectione duplicem quaestionem valde diversam simul permisceri. Altera respicit *originem*

*idearum*, unde scilicet et quo pacto simplex apprehensio subiecti et praedicati in mente efflorescant. Altera vero respicit *rationem obiectivam*, unde pervenitur mens ad praedicatum subiecto copulandum. Priorem quaestionem in praesenti non tractamus, nec tractare oportet, ac propterea minime solliciti sumus indagare, undenam notio sive *causae* sive *effectus*, aliaque consimiles enasantur, puta utrum sint congenitae vel acquisitae, et si hoc, utrum adquirantur hoc modo vel illo. Resolutio huius quaestionis in *Metaphysica* tradenda est. Id unum modo sustinemus, nimirum, undecumque ideae subiecti et praedicati in nobis exoriantur, eis tamen exprimi ipsam obiectivam realitatem obiectorum, quae concipimus, et ex hac obiectiva realitate desumi rationem ad eas iudicio componendas. Unde egregie S. Thomas. " Differt compositio intellectus a compositione rei. Nam ea quae componuntur in re, sunt diversa; compositio autem intellectus est signum identitatis eorum quae componuntur. Non enim intellectus sic composit, ut dicat, quod *homo est albedo*; sed dicit, quod *homo est albus*, id est *habens albedinem*: idem autem est subiecto, quod est homo, et quod est habens albedinem. " (*Summa th.* 1. p. q. 85. a. 5. ad 3.) Hinc ad propositam obiectionem sic respondeo in forma.

*Dist. antec.* Dantur plurima iudicia... notione subiecti, quatenus ipsamet simplex apprehensio praedicati nequeat in mente exoriri ex notione subiecti, *transcat*; quatenus motivum, quo mens flectitur ad eas componendas, non sit obiectiva identitas vel discrepantia earundem, sed coecus tantum mentis impulsus, *nego*. Ad exemplum vero allatum dico, ideam *effectus* esse obiective identicam notioni *exigentis causam*, ut in *Metaphysica* plenius explicabitur, undecumque tandem in mente haec notiones exoriantur, undecumque tandem in mente haec notiones exoriantur. *Concessa* denique universalitate et necessitate huius et similium iudiciorum, *nego* ultimum *consequens* et *consequentiam*.

#### SECTIO IV.

*Nam sit in re universale,  
prout huiusmodi, per formalem  
inexistentiam in singularibus.*

347. **Quaestio resolvenda. Diversae sententiae.** — Ex his, quae huc usque disseruimus, constat dari conceptus universales, non a mente confictos, sed in ipsa realitate rerum fundamentum suae veritatis habentes. Reliquum est, ut quale sit hoc fundamentum exquiramus, atque ita ad secundam partem quaestionis initio propositae [336] respondeamus. Iam age, potissima difficultas in hoc negotio, ut ante monuimus [330, IV.], in eo posita est, quod unitas propria conceptus universalis prima fronte videtur secum ipsa minime cohaerere, ob individuationem videlicet, quam dicitur divisioni admixtam in eadem obiectiva ratione. Quamquam enim ex. gr. ratio *hominis* reipsa dividatur in individuis, ita ut haec sint plures diversique homines, manet tamen una eademque humanitatis ratio, in qua conveniunt. Quaeritur proinde, quo pacto fiat, ut huiusmodi unitas in rerum natura sine fictione mentis consistat. Huic quaestioni qui obiectivum valorem conceptuum universalium tuentur in diversas sententias concedunt. Tres tamen praecipue enumerantur. Qui primae vel secundae opinioni adhaerent, communi vocabulo *Ultra-Reales* dicuntur, et in eo consentiunt, quod universalium unitatem citra mentis praecisionem in ipsa rerum natura actu inveniri definiant. Discrepant vero, quia in priori sententia ipsa intrinseca individuorum essentia dicitur esse actu et formaliter universalis; contra, in altera opinione, statuitur quidem citra praecisionem mentis obiectum conceptuum universalium complete constitutum, sed *extra* et *ante* singularia, ut aiunt, quemad-

modum declarabimus. Qui vero utramque hanc opinionem respiciunt, fatentur dari in natura rerum fundamentum praedictae unitatis, docent tamen insuper eam formaliter et actu non compleri nisi per mentis praecisionem. Haec est tertia et vera sententia, quam duce Aquinate tenebimur. Prius tamen duplicem modum explicandi ab Ultra-Realibus traditum refutare oportet. In hac sectione de priori duntaxat sermo est.

348. **Sententia Guillelmi Campellensis eiusque radix.** Qui ante alios sententiam de universali in singularibus actu et formaliter existenti magis perspicue edocuisse dicitur, auctor est saeculi XII, nomine Guillelmus Campellensis, magister Abailardi. Summa huius opinionis haec est, ut una dicatur esse essentia specifica individuorum, quatenus haec non differant nisi in diversis accidentibus, quibus singula determinantur. Quoniam vero habemus conceptus universales non modo específicos, sed etiam genericos, eosque tum substantiarum, tum accidentium, immo omnia omnino sub unico *entis* conceptu abstractione mentis comprehendimus, hinc expositam Guillelmi sententiam nonnulli adeo amplificaverunt, ut ad partem pantheismum propulerint; quemadmodum praestiterunt Almaricus de Bene, David de Dinant, ac nostris temporibus realistae transcendentales. Patet, hunc errorem esse plane contrarium errori Nominalium. Ceterum ex uno eodemque principio uterque opinandi modus ac generatim Ultra-Realismus ortum duxit, nimirum ex eo quod, secus ac ante notavimus [334], putetur unus idemque modus rei intellectae in suo esse ac modus intelligendi rem. Si semel enim talis propositio subaudiatur, necesse est assumptione variata tum Nominalismus tum Ultra-Realismus legitime concludatur. Et re quidem vera, si attendamus ad res ipsas prout in se sunt, videmus eas esse contingentes et singulares. Si ergo consimili modo concipiendae sunt ab intellectu, necesse est cum Nominalibus dicamus, nullam dari scientiam proprii nominis de universalibus, vel si quae sit huiusmodi, eam ex formis plane subiectivis ex spontaneitate animi emergentibus totam enasci. Ultra-

Reales e converso, propterea quod animadvertunt res in abstractione intellectus esse denudatas a conditionibus sive individuantiibus sive specificantibus, putant eas sic etiam in se subsistere, ac propterea eis largiuntur unitatem eandem, quae ex abstractione mentis ortum ducit.

#### THESIS XV.

*Admissa reali multiplicatione unius naturae in pluribus individuis, istorumque distinctione reali mutua adaequata, futuri oportet, non dari in ipsis aliquid de se ac citra omnem intellectus operam actu formaliter universale. Haec porro multiplicatio ac distinctio certior est, quam ut ab homine sana mente utente in dubium revocari queat.*

349. *Explicatio.* — Dicitur natura aliqua multiplicari, si tota identice in pluribus inveniatur ita, ut natura unius realiter sit distincta a natura alterius. Sic multiplicatur *humanitas* in pluribus hominibus: quamvis enim Petrus ex. gr. Paulo assimiletur in humanitate, humanitas tamen unius distincta est realiter ab humanitate alterius. Distinguuntur autem duo individua *realiter adaequate*, quando nihil est invenire in uno quod sit realiter *identicum* in altero, tametsi forte undequaque *assimilentur*: quemadmodum albedo huius parietis alia est ab albedine alterius, etsi ambo parietes plane similiter sunt albi. Duo itaque asserimus. Primo, non posse unitatem, quae propria est conceptus universalis, *actu* existere in natura rerum, si quidditas tali conceptu expressa realiter in suis individuis multiplicetur ita ut unum individuum secundum se totum aliud sit realiter a tota entitate alterius. Secundo, talem porro multiplicationem naturae, et individuorum distinctionem, adeo certam esse, ut ab omni homine sanae mentis admitti debeat.

350. *Probatio I. partis.* — Iam vero prima pars nota est ex terminis. Unitas enim propria conceptus universalis in eo sita est, ut *una eademque* ratio obiectiva identificeetur cum pluribus sed divisim, sic nimirum ut unumquodque eorum, cum quo identificeatur, sit realiter distinctum ab alio in ea ipsa ratione [330]. Atqui impossibile est, ut id *actu* inveniatur in natura rerum, si praedicta ratio multiplicetur in individuis realiter adaequate distinctis: eo ipso enim quod ita distinguuntur invicem, nihil invenire licet in uno, quod sit plane *idem* in altero. Confirmatur, quia nequit *idem* eo modo, quo est divisum, esse simul indivisum; daretur enim aperta contradictio. Atqui sic res haberet, si actu, citra ullam mentis praecisionem, in pluribus hominibus esset una humanitas; esset enim *humanitas-humanitates*. Neque obstat, quod catholica fides docet de unitate divinae naturae in pluribus personis distinctis. Ut enim loco citato declaravimus, etsi plures sunt personae divinae, nullo tamen modo dici queunt plures Dii, ideoque Deus non est terminus universalis sed plane singularis.

351. *Probatio II. partis.* — Nos non modo habemus conceptum generalem ac specificum substantiae, puta hominis, verum etiam conceptus genericos tum substantiae tum accidentium, immo conceptus generalissimos entis, unius, aliorumque transcendentium. Si itaque singuli homines unica constarent humanitate, ita omnia plane invicem identificearentur in ceteris gradibus genericis, immo una eademque constarent entitate. Atqui id est undequaque absurdum. Quemlibet enim nostrarum cognitionum ordinem pervertit. Et re quidem vera

I. Id plane contradicit experientiae sensuum. Hi enim non solum immediate repraesentant obiectum a subiecto discretum, sed etiam multipliciter omnimodam inter ipsa obiecta et saepe contrarietatem perpetuo referunt, neque alia unitas inter ea apparet nisi ordinis, quae sine distinctione reali eorum quae ordinantur ne concipi quidem potest. Ipsa extensio corporalis, quae est sensibile commune cuiusque sensationis, posita identitate omnium,

nequit amplius habere locum. Extensio enim supponit multiplicatam partium, quae non modo distinguantur, sed divisioni etiam sint obnoxiae.

II. Id praeterea testimonio conscientiae manifeste refragatur. Unusquisque enim intime persentiscit, se unum idemque esse in se totum et ab omni alio divisum; plurimis ac plane diversis affectionibus; ac saepe a causa plane extrinseca determinari; propriam voluntatem esse plane sui dominam, et pro libitu ad unam potius partem quam ad alteram se inflectere. Atqui nihil horum contingere posset sine multiplicitate realium substantiarum tum accidentium. Immo affectus, quos perpetuo experimur, amoris, aversionis, irae, timoris, reverentiae, grati animi, aemulationis, et sextentis alios, ex ipsa rei natura supponunt terminum a subiecto harum affectionum discretum, ac multiplices terminos diversos ad invicem ac saepe contrarios.

III. Talis positio denique primordiales humanae intelligentiae conceptus plane pessumdat. Si enim omnia sunt unum idemque, ergo repugnat idea *numeri*, *distinctionis*, *relationis*, *ordinis*, *productionis*, et quae has ideas supponunt. Impossibilia item essent iudicia quaelibet negativa; quippe quae sunt signum diversitatis eorum, quorum unum de alio negatur. Immo ipsamet idea *entis* non esset nisi contradictionum cumulus: si enim omnia sunt unum idemque, necesse est invicem etiam identificentur quae sunt opposita; omnis autem oppositio nititur in oppositione contradictionis. Quocirca optime, contra talem errorem, ait Angelicus ex doctrina Philosophi, non oportere disputetur contra ipsum. " Non enim, inquit, requiritur ad aliquam scientiam, ut inducat rationem contra opiniones manifeste falsas et improbables. Nam quolibet proferente contraria opinionibus sapientis sollicitum esse, stultum est, ut dicitur primo Topicorum. (1. *Phys.* lect. 2.)

352. *Corollarium.* — **Quidquid in natura rerum existit, citra praecisionem mentis inspectum, singulare est et individuum.** — Universale enim ac singulare *positive* quidem, sed *immediate* opponuntur, sicut commu-

nicabile et incommunicabile [331]. Quae autem sunt huiusmodi, rei citra praecisionem mentis inspectae alterutrum conveniat necesse est. Apposite S. Thomas. " Quod commune est vel universale, sine additione (h. e. differentiae) esse non potest, sed sine additione consideratur. Non enim animal esse potest absque rationali vel irrationali differentia, quamvis sine his differentis cogitur..... et similiter est de omnibus aliis nominibus. " Et paulo superius. " Quod est commune multis, non est aliud praeter multa, nisi sola ratione; sicut animal non est aliud praeter Socratem et Platonem et alia animalia, nisi in intellectu, qui apprehendit formam animalis expoliatae ab omnibus individuantibus et specificantibus; homo enim est quod vere est animal; alias sequeretur, quod in Socrate et Platone essent plura animalia, animal scilicet ipsum commune, et homo communis, et ipse Plato. (1. *Cont. Gent.* 26.)

## SECTIO V.

### *De realismo Platónico.*

353. **Eius descriptio tradita ab Aquinate.** — Haec est alia forma realismi exaggerati, quae affinis quidem est praecedenti, eodemque principio nititur, differt tamen. Sic eam describit S. Thomas. " Primi philosophi, qui de naturis rerum inquisiverunt, putaverunt nihil esse in mundo praeter corpus. Et quia videbant omnia corpora mobilia esse, et putabant ea in continuo fluxu esse, existimaverunt quod nulla certitudo de rerum veritate haberi possit a nobis. Quod enim est in continuo fluxu, per certitudinem apprehendi non potest, quia prius labitur, quam mente diiudicetur, sicut Heraclitus dicit quod non est possibile aquam fluvii currentis bis tangere, ut recitat Philosophus in IV. *Metaphysicorum*. His

autem superveniens Plato, ut posset salvare certam cognitionem veritatis a nobis per intellectum haberi, posuit praeter ista corporalia aliud genus entium a materia et motu separatum, quod nominabat species sive ideas, per quarum participationem unumquodque istorum singularium et sensibilibum dicitur vel homo, vel equus, vel aliquid huiusmodi. Sic ergo dicebat, scientias et definitiones et quicquid ad actum intellectus pertinet, non ferri ad ista corpora sensibilia, sed ad illa immaterialia et separata, ut sic anima non intelligat ista corporalia, sed intelligat horum corporalium species separatas . . . . . Videtur autem in hoc Plato deviare a veritate, quia cum aestimaret omnem cognitionem per modum alicuius similitudinis esse, credidit quod forma cogniti ex necessitate sit in cognoscente eo modo quod est in cognito. Consideravit autem, quod forma rei intellectae est in intellectu universaliter et immaterialiter et immobiliter . . . . . Et ideo existimavit, quod oporteret res intellectas hoc modo in seipsis subsistere, scilicet immaterialiter et immobiliter. („*Summa th.* 1. p. q. 84. a. 1.) Quod si quaeras, in quo posita sit praedicta formarum participatio, per quam singularia constituuntur et scientia veri nominis in nobis innascitur, sic idem S. Doctor hanc rem declarat. „ Plato posuit formas rerum sensibilibum per se sine materia subsistentes: sicut formam hominis, quam nominabat *per se hominem*, et formam equi, quam nominabat *per se equum*, et sic de aliis. Has ergo formas separatas ponebat participari et ab anima nostra et a materia corporali. Ad anima quidem nostra ad cognoscendum, a materia vero corporali ad essendum: ut, sicut materia corporalis, per hoc quod participat ideam lapidis, fit hic lapis; ita intellectus noster, per hoc quod participat ideam lapidis, fit intelligens lapidem. *Participatio autem ideae fit per aliquam similitudinem ipsius ideae in participante ipsam, per modum quo exemplar participatur ab exemplo.* Sicut igitur ponebat formas sensibiles, quae sunt in materia corporali, effluere ab ideis sicut quasdam earum similitudines: ita ponebat species intelligibiles no-

stri intellectus esse similitudines quasdam idearum ab eis effluentes. („*loc. cit.* a. 4.)

354. **Notanda ad plenioram intelligentiam relatae opinionis.** — Ut autem opinio, quam modo recitavimus, ex mente Platonis rite accipiatur, notandum est, eam triplici sensu valde diverso intelligi posse et reipsa intellectam fuisse. Primo itaque ita accipi potest, quasi huiusmodi formae abstractae sint verum universale *in essendo*, cum illa scilicet unitate et multiplicitate, quae est propria huius universalis. Iam vero in hoc sensu ideas universales Plato non admisit, nec Aristoteles hoc illum dixisse unquam asseruit. Hinc S. Thomas locis citatis non aliam universalitatem his ideis attribuit ex mente Platonis, nisi quae est propria exemplaris, h. e. *in representando*, ac propterea minime valent contra hanc opinionem argumenta, quibus in sectione praecedenti usus sumus. Alius modus interpretandi praedictam sententiam est, quem ex S. Augustino refert S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 84. a. 1.), nimirum ita, ut supradictae ideae non ponantur esse aliquid a Deo diversum, sed sint ipsae ideae archetypae in divina mente existentes, unde tamquam a prima causa exemplari derivatur omnis cuiusque rei species et intelligibilitas, prout in Metaphysica docetur. Hic sensus verissimus est, sed utrum reipsa sit ex mente Platonis, disputant auctores. Non pauci, nec ignobiles ita putant. Difficile tamen id crediderim; neque enim probabile est, Aristotelem aut Platonis mentem non esse assequutum, quem viginti annos audierat, aut maligne interpretatum, ut ait Gabriel Vazquez (*Disp.* 71. 1. p. c. 1. n. 1.), florente adhuc Academia, ac viventibus et videntibus plurimis Platonis discipulis, a quibus facile potuisset tam impudentis calumniae coargui. Quare probabilis est, neque hoc sensu sed tertio mox explicando Platonis ideas intelligi debere. Tertius itaque ac verior modus eas explicandi ex mente Platonis hic est, ut ponantur esse aliquid medium Deum inter et res creatas, quaeque sint aliquid obiectivum tum ab istis tum ab intellectu divino distinctum, illisque tamquam exempla-



ribus Deus in rerum universitate molienda indigerit. Porro hoc sensu dumtaxat de his agendum est in praesenti.

THESIS XVI.

*Ideae universales Platoniorum per se subsistentes, a Deo rebusque creatis distinctae, minime requiruntur ad rerum vel scientiae genesim, sed sunt plane commentitiae ac reprobandae.*

355. *Probatio.* — Philosophus non uno in loco, sed praecipue in primo et septimo libro Metaphysicorum late probat nostram assertionem. Nobis haec sufficiant.

I. Ac primo quidem non esse recurendum ad supradicta exemplaria, quo rerum genesis seu productio habeatur, sic patet. Nam si sermo sit de productione, quae est propria primi agentis, hoc plane independens sit oportet; seus non esset agens simpliciter primum. Atqui tale minime esset, si sufficeret a sua natura et cognitione non dirigeretur, sed opus haberet exemplaribus ab eo distinctis. Ergo hoc genus exemplarium in productione, quae propria est primi agentis, non requiritur, sed excluditur. Si vero sermo sit de secundis agentibus, haec effectum, quem producunt, assimilare intendunt vel propriae naturae in qua ipsa subsistunt, quemadmodum ex. gr. homo generat hominem, vel ideae in mente praecognitae, si non ex naturae determinatione, sed ex arte operentur. Atqui natura, in qua subsistunt, non est forma aliqua ab ipsis et a materia separata, cuiusmodi sunt ideae platonicae; ad formas vero ideales rerum artificia- lium satis superque est mente praecognoscere ipsum opus ex materia elaborandum, quin respiciatur ad aliquid a tali opere ac materia separatum. Ergo etiam respectu activitatis agentium secundorum supervacaneae plane sunt ideae separatae, quales in hoc systemate ponuntur.

II. Deinde minime requiruntur haec exemplaria, ut scientia humanae mentis in tuto colloquetur, immo a proprio obiecto huius scientiae sunt plane aliena. Id perspicue ostendit S. Thomas duplici ratione. "Primo quidem, quia cum illae species (platonicae) sint immateriales et immobiles, excluderetur a scientiis cognitio motus et materiae, quod est proprium scientiae naturalis; et demonstratio per causas moventes et materiales. Secundo, quia derisibile videtur, ut dum eorum, quae nobis manifesta sunt, notitiam quaerimus, alia entia in medium afferamus, quae non possunt esse eorum substantiae, cum ab eis differant secundum esse. Et sic illis substantiis separatis cognitis, non per hoc de istis sensibilibus iudicare possemus." (*Summa th.* 1. p. q. 84. a. 1.)

III. Hinc sequitur quod tertio loco in these affirmamus, nimirum istiusmodi ideae esse commentitias omnino ac reiiciendas. Sunt enim plane inutiles fini obtinendo, propter quem fuisse excogitatae. Praeterea obiectum proprium conceptuum universalium, quo habemus, et quorum obiectivam rationem explicare intendimus, est universale *in essendo* proprie dictum, adeoque praedicatur divisim de pluribus per identitatem. Hinc verissime dicimus, *Petrus est homo, Paulus est homo, Petrus est homo distinctus a Paulo*. Atqui repugnat, ut obiectum huiusmodi sit aliquid subsistens separatim ab individuis: daretur enim *homo* idem cum reliquis et distinctus a reliquis, adeoque idem non idem, distinctus et non distinctus. Postremo habemus conceptus universales non modo específicos, verum etiam genericos et transcendentis, eosque tum substantiarum tum accidentium. Admittere ergo oporteret in sententia, quam refellimus, animal quoddam quod nec rationale sit nec irrationale, albedinem nulli substantiae inhaerentem, relationem ab omni determinato subiecto et termino remotam, immo ens quoddam *per se*, h. e. nullius determinatae entitatis, atque adeo nec finitum nec infinitum, neque substantiam neque accidens, et sexcenta generis eiusdem, quae omnia sunt plane inutilia et ridicula.

## SECTIO VI.

*Vera sententia de obiectiva realitate  
conceptuum universalium.*

356. **Summa doctrinae.** — Ex refutatione sententiarum, quas huc usque examinavimus, perspicue patet esse plane falsum principium, unde omnes derivatae fuere, nimirum rem in suo esse habere eundem modum, quem habet in cognoscente. Cum enim ex vero nequeat sequi falsum multoque minus impossibile [155], debet profecto tamquam falsum haberi pronuntiatum, unde sententiae adeo falsae et inter se oppositae legitime deducuntur. Quare Angelicus Doctor, tamquam fundamentum suae doctrinae in hac materia, assumit principium plane oppositum, quod videlicet admittit quidem esse in natura rerum id, quod concipitur, non tamen eo modo quo concipitur. Hinc in loco, quem ante exscripsimus [353], cum retulerit opinionem Platonis, eumque in hoc a veritate deviare dixerit, quia *credidit, quod forma cogniti ex necessitate sit in cognoscente eo modo, quo est in cognito, sic pergit.* \* Hoc autem necessarium non est: quia etiam in ipsis sensibilibus videmus, quod forma alio modo est in uno sensibilibus, quam in altero: puta cum in uno est albedo intensior, in altero remissior; et cum in uno est albedo cum dulcedine, in alio sine dulcedine. Et per hunc etiam modum forma sensibilibus alio modo est in re, quae est extra animam et alio modo in sensu, qui suscipit formam sensibilibus absque materia, sicut colorem auri sine auro. Et similiter intellectus species corporum, quae sunt materiales et mobiles, recipit immaterialiter et immobiliter secundum modum suum. Nam receptum est in recipiente per modum recipientis. . . (*Summa th. 1. p. q. 84. a. 1.*) Hoc praeiacto principio, ita idem S. Doctor

quaestionem nobis propositam nitide aequae ac breviter exponit. \* Dicendum, quod cum dicitur *intellectum in actu*, duo importantur, scilicet res quae intelligitur, et hoc quod est ipsum intelligi. Et similiter cum dicitur *universale abstractum*, duo intelliguntur, scilicet ipsa natura rei, et abstractio seu universalitas. Ipsa igitur natura, cui accidit vel intelligi, vel abstrahi, vel intentio universalitatis, non est nisi in singularibus. Sed hoc ipsum, quod est vel intelligi, vel abstrahi, vel intentio universalitatis, est in intellectu. Et hoc possumus videre per simile in sensu. Visus enim videt colorem pomi sine eius odore. Si ergo quaeratur, ubi est color, qui videtur, sine odore, manifestum est, quod color qui videtur non est nisi in pomo. Sed quod sit sine odore perceptus, hoc accidit ei ex parte visus, in quantum in visu est similitudo coloris et non odoris. Similiter humanitas quae intelligitur, non est nisi in hoc vel illo homine: sed quod humanitas apprehendatur sine individualibus conditionibus, quod est ipsam abstrahi, ad quod sequitur intentio universalitatis, accidit humanitati, secundum quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo naturae speciei et non individualium principiorum. . . (*Summa th. 1. p. q. 85. a. 2. ad 2.*) Haec est summa totius doctrinae de obiectiva realitate conceptuum universalium, quaeque media incedit inter oppositos errores Nominalium ac Ultra-Realium, adeoque veritatem assequitur. Ut autem plenius declaretur et confirmetur, duplici propositione rem totam conficiemus. Quamquam vero de natura respectu individuum eiusdem speciei praecipue loquamur, quae tamen dicimus proportionem debitam intelligi etiam debent de natura generica. Ut enim ait S. Thomas, *natura speciei est indeterminata respectu individui, sicut natura generis respectu speciei.* (*De Ente et Essentia, c. 3.*)

THESIS XVII.

*Natura specifica, secundum absolutam sui considerationem, nec universalis dicenda est nec singularis: neutrum enim per se convenit tali naturae, et utrumque potest ei accidere. Porro natura, sic inspecta, vere praedicatur de suis individuis, quoad id quod concipitur, non autem quoad modum absolutae considerationis, quo eam concipimus.*

357. *Probatio I. partis.* — Nam absoluta consideratio alicuius naturae non comprehendit, nisi ea, quae in eius definitionem cadunt, quae nimirum *per se competunt tali naturae* [335]. Atqui nec singularitas nec universalitas *per se* competunt naturae specificae, puta humanitati, prout huiusmodi. Ergo natura specifica secundum absolutam sui considerationem nec singularis dicenda est nec universalis.

Minor huius argumenti, quoad priorem partem sic patet. Nam singulare, ut tale est, minime communicari potest multis, ut inferioribus, in quibus scilicet secundum unam eandemque rationem multiplicetur. Constat hoc ex ipsa eius definitione [331]. Atqui si natura spectetur secundum ea dumtaxat, quae per se ei competunt, talis multiplicatio non repugnat, immo de facto multiplicatur in omnibus individuis eiusdem speciei. Ergo singularitas tali naturae sic inspectae minime competit. Quod vero nec universalitas in eius definitionem cadat, quae est altera pars minoris assumptae, sic probatur. Quae enim per se conveniunt cuique naturae, non possunt non convenire eius individuis; in quocumque enim invenitur essentia inveniri debent notae eiusdem constitutivae et proprietates, quae inde necessario emergunt. Ergo universalitas, si per se conveniret naturae specificae, deberet inveniri

in omnibus et singulis individuis talis naturae. Atqui hoc est plane impossibile [352]. Ergo nec universalitas per se convenit naturae specificae. Apposite S. Thomas. "In singularibus (natura) habet multiplex esse secundum diversitatem singularium, et tamen ipsi naturae secundum propriam considerationem, scilicet absolutam, nullum istorum inesse debet. Falsum enim est dicere, quod natura hominis, in quantum huiusmodi, habeat esse in hoc singulari. Si enim esse in hoc singulari conveniret homini, in quantum est homo, non esset unquam extra hoc singulare; similiter si conveniret homini, in quantum est homo, non esse in singulari, numquam esset in eo. Sed verum est dicere, quod homo, in quantum est homo, non habet quod sit in hoc singulari vel in illo. Patet ergo quod natura hominis absolute considerata, abstrahit a quolibet esse, ita quod non fiat praecisio alicuius eorum . . . . . Non tamen potest dici, quod ratio universalis conveniat naturae sic acceptae. Quia de ratione universalis est unitas et communitas. Naturae autem humanae neutrum eorum convenit secundum suam absolutam considerationem; si enim communitas esset de intellectu hominis, tunc in quocumque inveniretur humanitas inveniretur communitas; et hoc falsum est, quia in Soerate non invenitur communitas aliqua, sed quiddid est in eo individuum est." (*De Ente et Essentia*, c. 4.)

358. *Probatio II. partis.* — Sequitur manifeste ex iis, quae supra demonstravimus adversus Nominales ac Ultra-Reales. Ostendimus enim contra Nominales, vere et proprie a nobis affirmari de individuis, non certe ipsummet nomen commune aut conceptum formalem huic nomini respondentem, sed rationem ipsam obiectivam tali nomine vel conceptu exhibitam. Quare cum dicimus ex. gr. *Petrus est homo*, id quod per identitatem de Petro praedicatur est *esse hominem*. Atqui id, quod nomina communia et conceptus formales his nominibus respondentis significant, comprehendit ea tantum, quae sunt de ratione rei his nominibus vel conceptibus significatae: quemadmodum *homo* non significat nisi quae sunt de ratione

hominis in quantum huiusmodi. Natura autem, quae sic exhibetur, est natura secundum absolutam sui considerationem. Ergo natura absolute considerata vere et proprie praedicatur de individuis. Quod vero de his minime praedicatur modus ipse absolutae praecisionis, quo consideratur, patet ex iis, quae in refutationem Ultra-Realium adduximus. Nam talis modus absolutae praecisionis si praedicaretur de re extra mentem posita, deberet in natura rerum existere natura, ex. gr. *homo*, in quo non essent nisi ea tantum, quae sunt de ratione hominis, prout huiusmodi. Atqui demonstratum est, non dari a parte rei huiusmodi *hominem*, neque in individuis existentem, neque ab eis separatum. Ergo modus absolutae praecisionis, quo natura concipitur, de individuis minime praedicatur. Nec mirum hoc esse debet cuique. Hic enim modus se tenet ex parte intelligentis: minime autem exigitur ad conceptionis veritatem, ut idem sit modus rei in suo esse ac modus intelligendi rem [334, 356] (1).

#### THESIS XVIII.

*Intentio, seu ratio universalitatis, habet quidem fundamentum in ipsa natura rei intellectae; formaliter tamen inspecta, eidem actu non convenit, nisi secundum esse, quod habet in intellectu.*

359. *Probatio.* — Colligitur haec thesis ex iis, quae praemisimus. Et re quidem vera

I. Ratio universalitatis, de qua loquimur, nimirum

(1) Natura absolute spectata, de qua loquuti sumus, a pluribus appellatur *universale directum*. *Universale* nuncupatur, non quidem *positivè* sed *negativè*, pro eo quod etsi non est aliquid unum in pluribus, non tamen ad unum individuum potius, quam ad aliud coar-

*in essendo*, formaliter si spectetur, duobus absolvitur, videlicet unitate et communitate eiusdem naturae, quae multiplicetur in pluribus individuis, de quibus singulis per identitatem praedicari queat. Talis porro unitas et communitas nequit actu convenire alicui naturae, nisi triplici ratione, nimirum vel ita ut sit aliquid intrinsecum naturae per se spectatae, vel ita ut ei accidat secundum modum essendi, quem habet in individuis, aut in intellectu [335]. Atqui primum dici non potest, quia, ut ante demonstravimus, natura secundum absolutam sui considerationem talem unitatem communitatemque minime exigit [357]. Multoque minus id asseri potest de natura secundum modum essendi, quem habet in individuis [352]. Relinquitur ergo, ut huiusmodi unitas et communitas, formaliter inspecta, actu conveniat rei secundum esse, quod sortitur in intellectu. Ad rem Angelicus. "Naturae humanae secundum absolutam sui considerationem convenit, quod praedicatur de Socrate, et ratio *speciei* non convenit sibi secundum suam absolutam (scilicet naturae humanae) considerationem, sed est de accidentibus, quae consequuntur eam secundum quoddam esse quod habet in intellectu: ideo nomen *speciei* non praedicatur de Socrate, ut dicatur, *Socrates est species*; quod de necessitate accideret, si ratio speciei conveniret homini secundum esse, quod habet in Socrate, vel secundum suam absolutam considerationem, scilicet in quantum est homo. Quidquid enim convenit homini, in quantum est homo, praedicatur de Socrate. — (*De Ente et Essentia*, c. 4.)

II. Habet tamen haec universalitas verum et reale fundamentum in natura, ac propterea minime censeri debet quasi fictio quaedam mentalis. Nam natura absolute spe-

ctatur: appellatur vero *directum*, quia reflexione minime opus est ad naturam sic concipiendam, sed sufficit directa intuitio. A veteribus vocatur universale *metaphysicum*, quia absolute consideratio naturae ad metaphysicam proprie ac maxime spectat. Nobis modus loquendi a S. Thoma adhibitus magis perspicuus videtur ac fortasse verior.

etata, puta *homo prout huiusmodi*, vere et proprie praedicatur de suis individuis [358]. Hinc fit, ut Petrus ex. gr. et Paulus habeant humanitatem *distinctam* quidem, sed plane *similem* in praedictis constitutivis: quam similitudinem significamus dicendo, *Petrus est homo sicut Paulus*. Haec porro relatio similitudinis realis est, et anvergens omnem intellectus operationem. Non enim ideo Petrus est Paulo similis in humanitate, quia sic nos eum concipimus: sed propterea id vere concipimus, quia ita est. Iam age relatio similitudinis duo dicit, *distinctionem* videlicet *realem* extremorum, quae invicem assimilantur, et eorundem mutuam *conformitatem* in eo, in quo assimilari dicuntur. Quare cum Petrus et Paulus similem habeant essentiam seu humanitatem, requiritur ut humanitas unius distincta sit realiter ab alterius humanitate, una tamen sit alteri plane conformis. Intellectus autem vi praecisiva, qua pollet, bene poterit unum concipere sine alio, nimirum id, secundum quod una humanitas alteri conformatur, quin attendat ad utriusque mutuam distinctionem. Sic efflorescit in intellectu conceptus objective unus, puta *hominis*, qui praedicari possit divisim, sive de Petro, sive de Paulo ceterisque hominibus. Talis porro conceptus ea unitate et communitate pollet, quae est propria universalis *in essendo*, quaeque proinde, licet opera intellectus perficiatur, habet tamen verum et reale fundamentum in natura rerum (1). Quare Angelicus Doctor

(1) Ne ulli aequivocationi sit locus, probe notare oportet, relationem similitudinis, de qua loquimur, esse utique fundamentum universalitatis, quia conceptus nostri frumtur, minime vero requiri perceptionem praedictae similitudinis, quo universalis conceptus in mente efflorescat. Quod enim primo et directe a mente humana percipitur, ut ex Psychologia suppono, non est singulare, sed natura a notis individuantibus praecisa: quod autem haec natura in pluribus multiplicari queat inde habetur, quod dentur aut dari queant plura individua, distincta quidem in natura, sed similia, *tametsi huiusmodi similitudo a mente non advertatur*. Immo vero etiam optime contingere potest, ut mens universaliter concipiat aliquam naturam, falso tamen putet eam non posse inveniri nisi in uno

cum ostendisset rationem universalitatis non emergere neque ex natura rei per se spectata, neque ex modo essendi, quem natura habet in individuis, ita prosequitur: "Relinquitur ergo quod ratio speciei accidat naturae humanae secundum illud esse, quod habet in intellectu. Ipsa enim natura habet esse in intellectu abstractum ab omnibus individualibus, et habet rationem uniformem ad omnia individua, quae sunt extra animam, prout essentialiter est imago omnium et inducens in cognitionem omnium, in quantum sunt homines: et ex hoc, quod talem relationem habet ad omnia individua, intellectus adinvenit rationem speciei et attribuit sibi: unde dicit Commentator (*De Anima*, 1.), quod intellectus est qui facit universalitatem in rebus; hoc etiam Avicenna dicit (*Metaph. S.*). Et alibi haec addit, quae valde faciunt in rem praesentem. "Eorum, ait, quae significantur nominibus, invenitur triplex diversitas. Quaedam enim sunt, quae secundum esse totum completum sunt extra animam, et huiusmodi sunt entia completa, sicut homo, lapis. Quaedam autem sunt, quae nihil habent extra animam, sicut somnia et imaginatio chimaerae. Quaedam autem sunt, quae habent fundamentum extra animam; sed complementum rationis eorum, quantum ad id, quod est for-

tantum individua, sive non posse dari plura individua quae in ea natura assimilantur. Ceterum, quod in thesi docemus, est aperta doctrina Aquinatis tum II. c. tum etiam ac manifestissime (2. *Poster. Analyt.* lect. 20.). Hoc loco S. Doctor expendens qua ratione universale a Philosopho dicatur *unum praeter multa*, haec habet. "Quod etiam dicit, esse unum praeter multa, non quidem secundum esse, sed secundum considerationem intellectus, qui considerat naturam aliquam, puta hominis, non respiciendo ad Socratem et Platonem. Quod etsi secundum considerationem intellectus sit unum praeter multa, tamen secundum esse est in omnibus singularibus unum et idem; non quidem numero, quasi sit eadem humanitas numero omnium hominum, sed secundum rationem speciei. Sicut enim hoc album est simile illi alio in albedine, non quasi una numero albedine existente in utroque; ita etiam Socrates est similis Platoni in humanitate, non quasi una humanitate numero in utroque existente." Sic ille (Edit. Parm., tom. XVIII. pag. 224. col. 2.)